

SM
C^a1
11

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

HABENDA

A D. GABRIELE SQUELLA ET OLIVES
EJUSDEM FACULTATIS ALUMNO.

PATRONO

P. M. FR. JOANNE FABREGUES ET SEGUI
AEREMITA AUGUSTINIANO IN SACRIS AEDI-
BUS CONV. B. M. V. DE SUCCURSU CIVI-
TELLAE MINORICARUM. DIE 25 MENSIS
OCTOB. HORA 3 POMERIDIANA.



SUPERIORUM PERMISSU.

MAGONE:



R:u1.823

APUD PETRUM ANTONIUM SERRA.

1829.

ПЕЧАТЬ ОГЛАВЛЕНИЯ

Siquis est quem velim potissimum philosophica historia elegantiorem vitae usum erudiri, ii certe sunt, a quibus nobilitas generis et fortunarum copia nihilo plus scientiae postulat, quam quantum ad honestas amicitias conciliandas et probè colendas politissimis moribus satis sit.—Nobilissimi adolescentes, qui ad unam communis vitae elegantiam, civilemque convictum instituuntur;..... non tam ut multum discant curare debent, quam ut multa. Jacob. Facciolati orat.
4 ad Philosof.

IN LAUDEM

CHRISTIANAE PHILOSOPHIAE.

Tot tantisque laudibus es celebrata, O sacra semperque felix Christiana Philosophia, ut supervacaneum sit, longiorem in tui praeconium effundere sermonem! *Dulci ejus amore raptus scriptor quidam, sic exordium quaerebat suum. Ea nihil optabilius, nihil praestantius, nihil homini melius. Mentis sagacitatem acuit, judicium limat, ratiocinandi vim perficit, ut inimicos induat confusione, et effloreat super nos veritas sancta. Inde fessus ejus labor eò maximè tendit ut de Dei existentià, ejusque attributis commenta destruat, errores refutet, supremumque Numen cum suis perfectionibus, pulcherrimum et florens omnium mentibus adpareat. Hominum*

*mentem, vivam et spirantem hanc Dei
 imaginem, incorpoream, immortalem,
 liberamque exhibet, atque depingit.
 Hoc etiam habet ipsa praecipui, ut ea
 solum praecepta tradat, quibus sobriè,
 justè, pièque vivamus in hoc saeculo,
 formandisque civibus sint valdè idonea.
 Naturae contemplationem simulque stu-
 dium nobis propinat, ut mentem benè
 comparatam ad Deum erigentes, vi-
 vidosque obsequii affectus excitantes,
 aspectabilem mundi compagem intuea-
 mur, Deique perfectiones confiteamur,
 miremur, superexaltemus. Christianae
 Philosophiae dignitas, nobilitas, excel-
 lentia, doctissimis clarissimisque viris
 jucundae semper visae sunt, et laude
 dignae. Vapor est virtutis Dei, ema-
 natio claritatis Omnipotentis, candor
 lucis aeternae, speculum Dei mages-
 tatis, inquit Rex Propheta. Omnium
 disciplinarum est disciplina, et scien-
 tiarum judex atque formatrix, ait
 Magnus Augustinus Paren. O vitae*

(5)

Philosophia dux, o virtutis indagatrix, o expultrix vitiorum! Tu urbes peperisti. Tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti. Tu inventrix legum, tu magistra morum, et disciplinae fuisti, exclamat Tullius. Hujus Philosophia erroribus plurimis erat obnubilata. Quae apud nos christianam domum sibi aedificavit, attingit á fine in finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Quantò verior est, quantò obsequiosior, quantò sanctior! Dici vix potest, quid utilitatis, quid virtutis habet. Plebeium respicit, efficitque Patrium: armis instruit militem, et dum facit: misero favet, felicemque reddit: amplexatur inopem, locupletatque: terrae filium suscipit, et cœlo invehit: gentes sanctificat, regna stabilis, christiana reipublicae decus est et ornamentum. Sic affluit bonis, sic abundat opibus, ut nihil requiri ad opulentiam possit, quod non possideat. Thesaurus est, non auri, sed decoris:

(6)

non argenti, sed gloriae: non gemmarum, sed honestatis: Thesaurus est, quem homines ut reperiant, quae naturae arcana non explorant! Quae non pervadunt adita! Quae secreta non penetrant! Quas non movent quaestiones et controversias! Quem ut nanciscantur juvenes quae non evolvunt volumina! Quas non abeunt bibliothecas! Quas non conterunt insomnes noctes! Thesaurus est iis praeditus dotibus, quibus ego celebrandis ita me comparatum censeo, ut difficilius sit mihi exitum quam principium invenire. Nullum omnino est tam illustre factum, quod non commendet. Virtus nulla est celsa, et laude digna, cuius non sit Mater. Vilissimi sunt honores, quos non exornat. Sordent reipsa purpurae, quae per eam non splendent. Non radiant diademata, quibus non accersit fulgorem. Vacillant solia, quae non erexit. Ruent trophaea, quae non excitavit. Nihil habent sceptralia prae-

*ti, quae ipsa non contulit. Haec est cui debent cœnobia celebritatem, splendorem académiae, disciplinam juven-
tus, tranquillitatem urbes, felicitatem Provinciae, pacem Hispania, omniaque bona. Hanc pura, hanc germana di-
rexit Philosophia in dificillimis tem-
porum angoribus. Catenis constricti,
cruciati bus afflicti, in latebris et lu-
ce palam, in celebritate et solitudine,
in urbibus et sylvis; ejecti patriâ,
exuti bonis, famâ spoliati, calumniis
oppressi, morti dirè traditi hispani
cives, de Religione et Patriâ per ip-
sam facti sunt benemeriti. Christiani
Philosophi in Religione praestantes, in
pietate insignes, in fortitudine clari,
in eruditione conspicui, in artibus et
scientiis, in bello et in pace, non spec-
taculum praebuerunt, quoniam de ex-
pectatione victoriam reportarunt. Hos
omnes in irritum petiere invidi, hor-
ruere scelesti, pseudophilosophi sunt per-
secuti. A Christianâ Philosophiâ qui-*

*cumque recedat, proprio ingenio temerè indulget. Hunc fontem aquae vivae qui dereliquerit, effodiet sibi cisternas sine aquâ, et dissipatas. Cae-
cus est, et caecorum dux, qui viam hanc regiam deserit, ab eâque declinat. Declinavit hodierna philosophia, quae Religioni divinitatem, Ecclesiae sanctitatem, virtuti pulchritudinem, vi-
tio fœditatem, Principibus auctorita-
tem, vinculum societati, privatis secu-
ritatem eripere conatur, atque moli-
tur. Ejus sunt illi libri, quibus Chris-
ti regnum, ac christiana reipublicae regendae ratio, ad Puffendorfii et Grotii leges vocantur. Illius sunt ea scripta, naturae humanae, rationisque dedecus, quae à materiâ animam nos-
tram haud distingunt, hominem bru-
tis aequiparant, meriti ac demeriti incapacem praedicant. Ejus sunt illa principia, quae naturae leges convel-
lunt, justi injustique originem perver-
tunt, revelationem de medio tollunt,*

miracula et prophetias ausu temera-
rio lacesunt. Illius sunt ea inventa,
quae Principum augustissimae Mages-
tati reverentiam, eorum legibus debi-
tum obsequium, vera cujusque civis er-
ga societatem officia oppugnant. Tu po-
liticas constitutiones, quibus sua Regi-
bus adimuntur sacra jura, formasti.
Tu comitia, quae per speciem fictae
reformationis praeibant ante faciem,
simulque illusoriae libertatis aequali-
tatisque viam parabant, concelebrasti.
Tu in libellis, speciosisque inscriptio-
nibus, superstitionis tyrannidisque fuca-
tis vocabulis, in regnum et sacerdo-
tium bellum intendisti. Tu perduelles
in doctrinam sanam, Pastoresque le-
gitimos, inter optimos cives recensuis-
ti. Tu Pragmatistas, atque Leguleios,
qui Ecclesiam bonis et potestate or-
batam volunt, clarissimos Ecclesiae fi-
lios appellasti. Tu quos vidisti Scrip-
tores discordiae facem inter subditos
et Principes, inter Episcopos et Pon-

tificem, inter Plebeium et Sacerdotalem ordinem incendere, de Religione et Patria optimè meritos clamasti. Tu quotquot superioribus annis infensissimi, immanissimique Religionis Regumque hostes extiterunt, inter optimos cives enumerasti. A te Rousseauvius, á te Voltairius, á te Machiabellistae, quibus nemo insidiosior, nemo impudentior, rebellis nemo magis, atque nefarius, summis laudibus sunt ad astra sublati. Erras toto cælo, dum adversus Deum convenis, et Christos ejus. Una sufficit Christiana Philosophia ad eos confundendos qui Domini regnum impugnant, Regesque qui per illum regnant insectantur. Huic studete, qui ineptas cavillationes non satis advertitis. Illam sequimini qui nefarios Supremi Numinis hostes debellare, impiaque eorum sistemata revertere cupitis. Illam peramate, qui germanam mentis notitiam desideratis, ejusque fœdatores impugnare vultis.

Hanc adite, qui cives Reipublicae utiles , verosquae Regum inimicorum inimicos vos ostendere in animo estis. Christianâ Philosophiâ nihil honestius, nihil nobilius et excellentius , nihil pulchrius et pretiosius, nihil castius et formosius, nihil utile magis et necessarium.

Ita sicut in exercitatione percepimus Regnum Rerum Naturae esse in seculo et in mundo. Quod est in seculo est in mundo. Quod est in mundo est in seculo.

EXERCITATIONIS MODUS, ET RATIO.

Omnia, quae in hac exercitatione argumenta suppeditant, interrogando designata sunt, et in varia tentamina distributa veluti totidem argumentorum puncta, quae minutatim respondendo enucleabimus, si cui minutatim interrogare placeat. Nihil ultra admonere opere praetium est.

PHILOSOPHIA.

TENTAMEN PRIMUM.

Quid est Philosophia? Juxta vim nominis quid significat? Quis omnium primus ei nomen dedit? In quot dividitur partes? Existitne Philosophia? Extant aliquae veritates solo rationis lumine certissimae, atque evidentissimae? Estne igitur exterminandus rigorosus Scepticismus? Sed nonne, dices, incredibilis est humanae mentis imbecillitas, infirmitasque? Nonne somniantibus nobis, ea mens percipit, quae in vigilia certò se noscere putat, et quidem pari in utroque statu claritate et evidentiâ, res easdem videt, audit, agit? Decipitur tamen in statu somnii. Cur ergo non erit vita nostra perpetuum somnium, falsa pro veris objiciens?

(14)
LOGICA.

TENTAMEN SECUNDUM.

De Logica in universum.

Quid, et quotplex est Logica? Quodnam ipsius objectum materiale, et quodnam formale? Quid Logica naturalis, et artificialis? Quot sunt mentis humanae operationes? Quid est apprehensio? quid judicium? quid discursus? quid methodus? Quid sunt apprehensio complexa, et incomplexa? Quid est judicium affirmativum? quid negativum? Quid tandem sunt *subjectum, attributum seu praedicatum, et copula* in omni judicio distinguenda?

TENTAMEN TERTIUM.

De intellectu percipiente, sive de ideis.

Quid est idea? Quid sunt sensatio,

imaginatio, conscientia, atque attentio? Quotuplici ex capite sumitur idearum diversitas? Ratione originis, quid sunt ideae innatae, adventitiae, et factitiae? Ratione modi, quid ideae clarae, obscurae, distinctae, confusae, adœquatae, et inadœquatae? Ratione objectorum quae per ideas contemplamur, quid sunt substantiae? quid modi, sive accidentia? quid relationes? Quomodo definiuntur idea particularis, singularis, universalis, vera et falsa? Quaenam sunt quinque Porphirii, vel Aristotelis predicabilia? Quid est Genus? quid Species? quid Proprium? quid Differentia? quid Accidens?

TENTAMEN QUARTUM.

*De vocibus, quibus ideae manifestantur,
ac de confusionis idearum fontibus.*

Quid sunt voces? Quotuplex est

modus ideas manifestandi? Quid est signum, et quot complectitur ideas? Quid est signum naturale? quid signum arbitriatum, sive ad placitum? Idearum confusionis fontes quot sunt? Quinam fontes interni? quinam externi?

TENTAMEN QUINTUM.

De intellectu judicante; ac primo de propositionum naturâ, et partibus.

Quid est propositio? Quaenam in èa distingueda? Quid est materia propositionis? Quid illius qualitas, et quantitas? Quid est propositio in materiâ necessaria? Quid in materiâ impossibili, et contingenti? Quid propositio universalis? quidve particularis? Tam universales, quam particulares propositiones quibus litteris exprimi solent à Logicis? Quid denotant hujusmodi litterae?

(17)

TENTAMEN SEXTUM.

Quid est
De multiplo propositionum genere.

De multiplo propositionum genere.

Quae dicitur propositio simplex?
quae complexa? quae composita? Quid
est propositio disjunctiva? quid copu-
lativa? quid conditionalis, causalisque?
Ut quaelibet ex his quatuor proposi-
tionum speciebus verae sint, quid re-
quiritur? Quid est propositio exclusi-
va? quid exceptiva? quid compasiva?
quid inceptiva, et desitiva?

TENTAMEN SEPTIMUM.

De propositionum oppositione, et conver-
sione: deque definitione ac divisione.

Propositionum oppositio quid est?
Quando propositiones dicentur contra-
riae, contradictoriae, et subcontrariae?

Quid est propositionum conversio? Quaenam regulae assignantur tum circa propositionum oppositionem, tum circa earum conversionem? Quotuplex est definitio? Quid definitio vocis? quid rei? Quid opus est ut definitio sit recta? Quid est divisio? quotuplex? Quaenam regulae servanda, ut divisio recte procedat?

TENTAMEN OCTAVUM.

De intellectu ratiocinante, ac de discursus natura et variis ejus speciebus.

Discursus cum argumentatione confunditur? Quid est igitur, argumentatio? Quaenam sunt argumentationis species? Quid est syllogismus? quid illius medius terminus, majorque, minorque? Quid sunt alia argumentandi genera, nempe Epicherema, Entimema, Dilemma, Sorites, Exemplum, Inductio, et

Analogia?

TENTAMEN NONUM.

*De syllogismorum figuris, modis,
et regulis.*

Quid est figura syllogismi? quotplex? Quandonam primae, secundae, vel tertiae figurae erit syllogismus? Profer exempla. Quid est syllogismi modus? Pro triplici assignatâ syllogismi figurâ quot sunt regulae? et quaenam? Ne falsa quoque sit syllogismi conclusio quot, et quaenam leges assignantur?

TENTAMEN DECIMUM.

De syllogismis compositis, ac de Sophismatibus.

Quis syllogismus dicitur compositus?

quis conditionalis? quis disjunctivus?
 quis causalis? quis copulativus? Quid
 est necessarium ut quilibet ex hujus-
 modi syllogismis vim habeat? Quot
 sunt sophismata circa res? Quid est fal-
 lacia accidentis? quid dicti non sim-
 pliciter consequentis? quid non causae
 pro causa? quid petitionis principii?
 quid ignorantiae elenchi? quid pluri-
 um interrogationum? Quid tandem est
 circulus vitiosus? quid autem regres-
 sus demonstrativus optimum argumen-
 tandi genus?

TENTAMEN III.^m

*De intellectu suas operationes dispo-
 nente, deque veritate, eique opposito
 falso.*

Quotplex est methodus intellectus
 operationes ad verum disponens? Quid
 est methodus analitica? quid syntheti-

ca? Quid est veritas? Quid veritas metaphysica? quid phisica? quid logica? quid certa? quidque probabilis? Quid est Scientia? quid fides? Quid, et quotplex demonstratio? quid demonstratio á priori? quidve á posteriori? Quid opinio? Quid dubium, et quotplex? Quid dubium negativum? quid positivum?

TENTAMEN 12.^m

De evidentiâ mathematicâ, sive rationis.

Evidentia mathematica, sive rationis, quid est? Prò veritatibus intelligibilibus dijudicandis estne optimum criterium haec evidentia rationis? Quomodo id probabis? Nonne illa, quae omnibus sanâ mente instructis evidentia apparent, ducunt nos in errorem? Quis enim nescit haec omnibus esse evidencia: *Quae sunt eadem uni ter-*

tio, sunt eadem inter se: Anima et corpus personam humanam constituunt? Attamen numquid primum principium falsum non arguitur ex Trinitatis mysterio? Ex eo enim erudimur tres haberri distinctas personas cum eâdem prorsus naturâ. Secundum an non revertitur ex Incarnationis œconomia? Nam Verbum assumpsit animam corpusque húmanum, non tamen personam humanam. Quomodo ergo evidentia mathematica sive rationis, potest esse veritatis criterium?

TENTAMEN 13.^m

De evidentiâ phisicâ, sive sensuum.

Quid est evidentia phisica, sive sensuum? In rebus sensilibus estne habenda ut optimum veritatis criterium? Cur ita? Nonne sensus omnes continuò decipiunt nos, tum circa rerum

magnitudinem, tum circa motum, tum circa corporum distantiam rerumque figuram? Quid, quod omnes ferè homines falsò arbitrantur corporibus inesse colores, satores, odores, calorem, frigus, sonum, aliasque secundarias qualitates? Quâ igitur ratione id conciliari poterit cum sensuum criterio?

TENTAMEN 14.^m*De evidentiâ morali, sive auctoritatis.*

Quid est evidentiâ moralis, sive auctoritatis? Quid de hujusmodi evidentiâ stabilendum? Estne etiam veritatis criterium? Quo fundamento id asseritur? Quem latet, inter Historicos eum preferendum caeteris esse, qui fuit testis oculatus? Quis ignorat, huic certitudini succedere proximè testem auritum, huncque sequi alterum, qui ab aurito teste factum accepit? Numquid verò

certitudo non minuitur prout crescit distantia ab oculato teste? Sic ergo crescente ad plura saecula temporum lapsu, quare non ita imminuetur praeteritorum factorum certitudo, ut tandem evanescat?

METAPHISICA.

TENTAMEN PRIMUM.

Quid est Metaphisica? Juxta nominis etymologiam quomodo vocatur? Quodnam est illius objectum? Quotuplices sunt res immateriales? Metaphysica in quot partes distribuitur? Quid est Ontologia? quid Pneumatologia?

TENTAMEN SECUNDUM.

De ente ejusque proprietatibus.

Quid est ens? Quid dicitur res?

(25)

Quid est ens possibile? quid impossibile? quid futurum? quid futurum necessarium, quidve liberum? Quaenam sunt proprietates entium transcendentiales? Quid est unitas? quid veritas? quidque bonitas? Quid est unum simplex? quid unum compositum? Quid est compositio? quid compositio phisica? quid metaphysica? quid logica? Quid est distinctio? quid distinctio realis? quid rationis? quid modalis? Quid veritas metaphysica? quid moralis? Quid est bonitas? Quid bonitas absoluta? quid moralis? quid relativa?

TENTAMEN TERTIUM.

*De essentiâ, existentiâ, subsistentiâ,
ac de causis.*

Quid est essentia? quid existentia? quid subsistentia? quid causa? quid causa prima? quid causa secunda? quid

causa adaequata? quid inadaequata? quid causa mediata? quid immediata? quid causa phisica? quidque moralis?

TENTAMEN QUARTUM.

De existentiâ Dei.

Nomine Dei quid intelligitur? Quis dicitur Atheus positivus? quis negativus? quis Atheus speculativus? quis practicus? Quid sunt argumenta metaphysica, phisica, et moralia existentiae Dei? Probarine igitur potest existentia Dei hujusmodi argumentis? Quomodo? Numquid non fidei articulus est existentia Dei? Dicente enim Apostolo: *Accedentem ad Deum opportet credere quia est.* Quomodo ergo illius existentiam demonstrabis, cum fides sit *argumentum non apparentium* juxta eundem Apostolum? Praeterea: Si existit Deus, quid aliud esse debet nisi

infinita substantia omnem absorbens perfectionem, et quodlibet aliud ens excludens? At nonne multa existunt entia á Deo diversa? Quo igitur medio id componitur?

TENTAMEN QUINTUM.


De praecipuis attributis Dei.

Quid sunt attributa Dei? Quaenam praecipua? Quid est unitas? quid simplicitas? quid immutabilitas? quid immensitas? quid omnipotentia? quid omniscientia? quid Providentia?

TENTAMEN SEXTUM.

De unitate Dei.

Quis dicitur Polytheus? Quinam appellantur Maniquaei? quinam Triteistae? Estne affirmandum unum tantum



existere Deum? Quare? Quis dubitat dari in mundo mala moralia, et phisica, id est, peccata atque infelicitates; sicut ex adverso bona existunt moralia et phisica, nempè virtutes ac felicitates? Haec autem quomodo possunt ab unico Deo provenire? An vult tollere mala et non potest? Ergo esset imbecillus. An potest, et non vult? Esset igitur invidus. An neque vult, neque potest? Tunc et invidus, et imbecillus. An vult, et potest? Unde ergo sunt mala? Aut cur illa non tollit?

TENTAMEN SEPTIMUM.

De Providentiâ Dei.

An providentissimus est Deus? Cur ita affirmandum? Nonne providus gubernator impios punit, probos autem subditos facit felices? Sed in hoc mundo quam ex adverso accidit! Quomodo ergo dici potest, quod hic mundus

(29)

Dei providentiâ gubernatur?

TENTAMEN OCTAYUM.

De naturâ animae humanae.

Quid est mens humana? Quid corpus? Quid spiritus? Dicendumne quod anima humana est substantia à corpore omnino diversa, sive spiritualis? At quare? Nonne anima locali motu transfertur, quod solius corporis est? Nisi enim é loco moveretur, quomodo posset exire à corpore, neque ab eo separari? An anima non est in loco? Si ita est, ergo jam nullibi erit. De quolibet enim spatii punto, nunquid dici non poterit: hīc anima non est?

TENTAMEN NONUM.

De animae humanae immortalitate.

Immortalisne est anima humana?

Quâ ratione id asseritur? Nonne anima cum corpore gignitur, cum ipso crescit, ac senescit? Nonne infirma est in puer, robusta in viris, delira insene? Nonne cum corpore aegrotat, dolet, angitur? Cum corpus aegrotans sanatur, nonne et anima aegra ad salutem reddit? Si ergo functiones corporis ita sequitur, quando corpus morietur cur illud anima non sequetur?

TENTAMEN DECIMUM.

De Voluntate, ejusque libertate.

Quid est voluntas? Quid libertas? Quid necessitas interna, quidque externa? Quid libertas à necessitate, quid à coactione? Humana voluntas gaudetne libertate, tum ab externâ, tum ab internâ necessitate? Quo fundamento id probatur? Nunquid positis duobus inaequalis perfectionis objectis, non debet

homo necessariò melius amplecti , ac
pejus rejicere? Nonne voluntas necessa-
riò amplectitur, quod sibi melius ab
intellectu representatur? Quomodo ergo
id conciliabitur cum voluntatis liber-
tate?

ETHICA.

TENTAMEN PRIMUM.

Quid, et quotplex est Ethica? Quid
Ethica generalis? quid particularis? Quot,
et quaenam sunt hominis officia? Quid
est Jurisprudentia naturalis? quid juris-
prudentia œconomica, seu politica?

TENTAMEN SECUNDUM.

De Legibus.

Quid est Lex? Quotplex est legum

ratio? quae ratio moralis? quae historica? quaeque legalis? Quid lex divina? quidque est humana? Lex divina quotplex est? Quid est lex aeterna? quid lex naturalis? quid positiva? Lex humana quotplex est? Quid est lex ecclesiastica? quid lex civilis? quid Jus canonicum? quid Jus civile? Quid sunt leges praceptivae? quid prohibitivae? quid permissivae? Quae lex dicitur mere penal, quaeque mixta?

TENTAMEN TERTIUM.

De existentiâ legis naturalis.



Existitne in omnium animis lex naturalis? Quomodo hoc probatur? Nonne, si omnibus in hominibus existeret lex naturalis, eadem essent apud omnes morum principia, sicut eadem est natura? At varia sunt apud omnes populos. Sic nunquid licitum non erat

apud Lacedemonios furari, apud Scytas suos hospites trucidare, apud Massagetas parentes senio confectos occidere?

TENTAMEN QUARTUM.

De obligatione, et nonnullis morum principiis ex obligatione derivantibus.

Quid, et quotplex est obligatio? Quaenam est obligatio positiva? quae naturalis? Quid est imputatio? quid dispensatio? quid privilegium? quid consuetudo? Quid dubium juris? quid dubium facti?

TENTAMEN QUINTUM.

De suicidio.

Quid est suicidium? Suicidium pro-

priâ voluntate commissum estne illicium? Estne actus rebellionis erga Deum? Quare? Illud licitum non erit, quod fortis est animi? Nonne autem fortis est animi seipsum occidere? Deinde: nunquid non licet eam vitam abjicere, quae nobis malum est, et nemini bonum? Id verò nonne contingit aliquando?

TENTAMEN SEXTUM.

De Duello.

Quid est Duellum? Illicita suntne singularia certamina, quae duella vocantur? Cur ita? Honor non est forsitan aliquid vitâ melius? Cur ergo non licet vitam abjicere pro honore servando? Nunquid tenetur nemo famae jacturam pati? Quid verò certius, quod qui provocatus ad duellum, illud recusaret, famae jacturam pateretur juxta

hominum existimationem?

TENTAMEN SEPTIMUM.

De Societate.

Quid est Societas? Quid est Res-publica? quid Monarchia, sive Regnum? quid Aristocratia? quid Democratia? Homo natusne est ad societatem cum aliis hominibus ineundam? Quare? Non-ne ex societate nascitur conditionum inaequalitas, quae juri naturali adver-satur? Nunquid enim homines jure na-turali non sunt aequales? Si ergo so-cietas juri naturali opponitur, quomo-do potest homo ad societatem nasci?

TENTAMEN OCTAVUM.

De Contractibus.

Quid est contractus? Quomodo con-trahitur re? quomodo verbis? quomodo

litteris? quomodo solo consensu? Quid sunt contractus conditionales, et quid absoluti? Quinam sunt contractus onerosi, et quinam beneficii? Quid est permutatio? quid venditio? quid mandatum? quid commodatum? quid depositum? quid mutuum gratuitum? quid usura? quid contractus societatis? quid locatio?

PHISICA.

TENTAMEN PRIMUM.

Quid est Physica? Hoc nomen à quo derivatur? Quotplex est Physica? Quid est Physica generalis? quid specialis? Quodnam est Physicae objectum?

TENTAMEN SECUNDUM.

De physici corporis proprietatibus.


Quot sunt proprietates communes

(37)

physici corporis? Quid est extensio, ac
divisibilitas? quid figura? quid impe-
ntrabilitas? quid porositas? quid locus?
quid motus? quid gravitas?

TENTAMEN TERTIUM.

De Sphaera cœlesti.



Quid est sphaera? Quot sunt cir-
culi sphaerae cœlestis? Quid sunt cir-
culi maiores? quid circuli minores? Quot,
et quinam sunt circuli maiores? Quot,
et quinam circuli minores? Quid est
horizon? Quid est meridianus? Quid est
aequator? Quid est zodiacus? Quaenam
sunt signa zodiaci? Quid sunt coluri?
Quid est tropicum? Quid sunt circuli
polares?

TENTAMEN QUARTUM.

De Sphaera terrestri.



Quid est sphaera terrestris? Quot

sunt circuli sphaerae terrestris? Quid est horizon? Quid aequator? Quid sunt meridiani terrestres? quid tropici? quid polares? Quid est zona torrida? Quid sunt zonae temperatae?

TENTAMEN QUINTUM.


De diversis sphaerae positionibus.

Quotuplex est sphaerae positio? Quid est positio recta? quid obliqua? quid parallelia? Quotuplex est dies? Quid dies naturalis? quid artificialis? Quid est arcus diurnus?

Vt.=*F. Clemens Pons Stud. Reg.*

Vto. Bno.=*Ignacio Pujol, V. G.*

Imprimase.=*Taverner.*





1036513

SM C*1 11